



Patriarchatus Latinus- Ierusalem

البطريركية اللاتينية الأورشليمية

المكتب الليتورجي

Officium Liturgicum

Die 9 Maii

S. Isaiae, prophetæ et martyris

Memoria

Ant. ad introitum

Is 61, 1

S píritus Dómini super me, propter quod unxit me, evan-
gelizáre paupéribus misit me (T.P. Allelúa).

Collecta

Deus, misericordiarum Pater,
qui per os sancti Isaiae, prophétæ,
vitam, mortem et gloriam Unigéniti tui, Salvatóris nostri,
prædicti; concéde, propítius:
ut hæc salútis nostræ mysteria iúgiter recoléntes,
ad ætérana gáudia pervenire mereámur.
Per Dóminum.

LECTIO PRIMA (propr.)

«Et dixi: Ecce ego mitte me»

Lectio libri Isaiae prophétæ

6, 1a. 3. 5-8

In anno quo mórtuus est rex Ozías, vidi Dominum se-
déntem super sólum excélsum et elevátum. Séraphim stabant
super illud. Et clamábant alter ad álterum et dicébant: «San-
ctus, Sanctus, Sanctus Dóminus exercítum; plena est omnis
terra glória eius». Et dixi: «Væ mihi, quia vir pollútus lá-
biis ego sum, et in médio pópuli pollúta lábia habéntis ego
hábito, et Regem Dóminum exercítum vidi óculis meis!».

Et volávit ad me unus de Séraphim, et in manu eius
cálculus, quem fórcipe túlerat de altári; et tétigit os meum,
et dixit: «Ecce tétigit hoc lábia tua, et auferétur iníquitas
tua, et peccatum tuum mundábitur».

Et audívi vocem Dómini dicéntis: «Quem mittam? et
quis ibit nobis?» Et dixi: «Ecce ego, mitte me!».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Is 12, 2-3. 4bcd. 5-6 (R. 3)

R/. Haurétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris.

1 Ecce Deus salvátor meus, fiducialiter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.

Haurétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. R/.

2 Confitémini Dómino et invocáte nomen eius,
notas fácite in pópolis adinventiónes eius,
mementóte quóniam excélsum est nomen eius. R/.

3 Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit,
annuntiáte hoc in univérsa terra.
Exsúltá et lauda, habitátio Sion,
quia magnus in médio tui Sanctus Israel. R/.

ALLELUIA

Sir 44, 1. 14

R/. Alleluia. V/. Laudémus viros gloriósos in generatióne
sua. Nomen eorum vivit in generatió-
nem et generatióinem. R/. Alleluia.

EVANGELIUM (prop.)

« *Hodie impleta Scriptura Isaiae in auribus vestris* »

† Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

4, 16-21

In illo témpore :

Venit Iesus Názareth, ubi erat nutritus, et intrávit se-
cúndum consuetúdinem suam die sábbati in synagógam et sur-
réxit légere. Et tráditus est illi liber Isaiae prophétæ. Et, ut

revólvit librum, invénit locum, ubi scriptum erat : « *Spiritus Dómini super me, propter quod unxit me evangelizáre paupéribus, misit me praedicáre captívis remissiónem et cæcis visum, dimittere confráctos in remissióne, praedicáre annum Dómini accéptum* ». Et cum plicuisset librum, réddidit mínistro et sedit; et ómnium in synagóga óculi erant intendéntes in eum.

Cœpit autem dícere ad illos : « *Hódie impléta est hæc Scriptúra in áuribus vestris* ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Effunde super nos, Dómine,
Spíritus Sancti sacrum septenárium,
ut gratiæ tuæ múnere ditáti,
ad sacra mystéria celebránta dignius accedámus.
Per Christum.

Ant. ad communionem

Is 7, 14

Ecce virgo concípiet et páriet filium: et vocábitur nomen eius Emmánuel, quia Nobiscum Deus (T.P. Allelúa).

Post communionem

Háusimus, misericors Deus, gaudéntes de fóntibus Salvatóris :
fac ut nobis fiant
et mortális vitæ subsídia et perpétuæ pignóra felicitátis.
Per Christum.